



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Io. Iac. Chiffletii De Linteis Sepulchralibus Christi  
Servatoris Crisis Historica**

**Chifflet, Jean-Jacques**

**Antverpiae, 1624**

Cap. VIII. Sudarium Vesontinum esse illud ipsum, quod S. Ioannes dicit  
fuisse super caput Domini.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64456](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64456)

40 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
se, aut etiam absque nouo miraculo potuisse; cum  
nec solos, nec nudos pedes extremos, manūque  
adstrinxerint, sed toti corpori, quibusdam iam  
vtriusque linteis obtecto, circumuolutæ sint.

C A P V T V I I I.

*Sudarium Vefontinum esse illud ipsum, quod S. Ioan-  
nes dicit fuisse super caput Domini.*

I AM illud videmur non contemnendis conie-  
cturis affecuti, Sudarium Vefontinum esse illud  
sudarium capitis Saluatoris, de quo mira refert  
venerabilis Beda, quodque ait longum esse pedes  
octo. Sed ridebit Calvinianus & Bedam & Ve-  
fontinos: illum, quod tam longum linteum puta-  
uerit soli Christi capiti adhibitum; hos verò insu-  
per, quod linteum, anteriorem totius Christi cor-  
poris partem referens, pro capitis sudario osten-  
tent, cum sudarium capitis in sepulturâ Iudaicâ  
non nisi caput obuelarit, vt ex Ioanne manifestè  
haberi videtur, qui vndecimo capite de Lazaro,  
& facies illius, inquit, sudario erat ligata. & capite  
vicesimo: *Et introiuit in monumentum, & vidit lin-  
teamina posita, & sudarium quod fuerat super caput  
eius, non cum linteaminibus positum, sed separatim  
inuolutum in vnum locum.*

In

In hac causâ, quæ Bedæ cum Vefontinis communis est, duo habeo quæ dicam, ex quibus constet nec illum ineptè locutum, nec hos insulsè ratiocinatos. Primum est, in sepulturâ Iudaicâ fuisse sub institis linteamina quædam toti corpori partim substrata, partim superextensa, super quæ fasciæ adstrictæ sint; non autem ipsas institas nudo corpori circumductas. Hoc indicant Ioannes & Lucas, qui de linteaminibus, etiam à capitis sudario distinctis meminerunt, quæ non satis commodè quis explicet de solis institis; quamvis dixerit Ioannes, *ligauerunt illud linteis*: hoc enim non tam sonat, *ligauerunt illud fasciis ex lino*, seu *lineâ telâ*, quàm, *corpus linteis & sudariis comprehensum institis obligarunt*: alioqui Ioannes illis verbis sepulchram Christi non satis aptè explicasse videretur; ait enim, *acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt illud linteis, cum aromatibus, sicut est mos Iudæis sepelire*. Sepulchrales omnes pannos vnâ *linteorum* voce exprimit: non ergo per *lintea* solas institas significat, sed & *sudarium*, cuius ipsemet expressè meminit capite vigesimo; & *sindonem*, hoc est vnum aut plura linteamina, quæ totum corpus sub institis obtegerent. Nonnus, quæ Ioannes appellat *lin-* In Ioan. cap. 20.  
*teamina*, vocat ipse *ταφίας ὀθόνας, & λινέες χιτῶνας*,  
*sepulchralia lintea, lineas tunicas*, siue *amictus*; quæ

F postre-

postrema vox de institis etiam lineis accipi non potest, nisi valdè improprie. Age verò, quì fieri potuit vel commodè satis, vel satis honestè, vt nudo cadaueri fasciæ circumuoluerentur? num periculum fuit, si solæ institæ adhibitæ sunt, ne quid intactum in corpore remaneret? Omnino, cùm pleræque gentes, ac nominatim Ægyptij, Herodoto teste, totum cadauer sindone ac linteis omni ex parte conuestierint. Quin id quoq; à Iudæis factitatum sit, nemo iure dubitauerit, idque sub institis, quæ ad coërcenda potiùs linteamina, totum corpus obtegentia, quàm ad corpus ipsum operiendum excogitatæ sunt.

Alterum addo, linteum illud, quod totam superiorem corporis iacentis partem à capite ad pedes obtegeret, rectè dici posse *sudarium capitis*, aut *faciei*. Docet Pollux in Onomastico, *sudarium* quandoque dictum priscis ἡμιτύμβιον; talemque videri sententiam fuisse Aristophani dum dixit: Ἐπὶ τὰ καθαρόν ἡμιτύμβιον λαβὼν, τὰ βλέφαρα ἀειέψνε. Deinde mundum prehensēs semitymbium, palpebras deter sit. ita interpres Pollucis penuriâ Latinæ vocis: quam si finxeris, ἡμιτύμβιον audacter verteris *semisepulchrale*; quasi dicas, linteum alteram tantum cadaueris partem contegens in sepulchro. Sed cur sudarium capitis & faciei? certum est, bonis

nis Auctoris caput præcipuam animæ sedem, pro toto homine plerumque sumi, & capitum nomine frequenter homines venire, quia (vt ait Ambrosius) *totus homo in capite residet*. Inter Græcos Libris Hexaëm. Sophocles dixit φίλων κάρα, Plutarchus φίλας κεφαλὰς, Homerus θείην κεφαλὴν, Synesius ἱερὰν καὶ θείαν κεφαλὴν, Virgilius *dulce caput*, alij Latini *charum caput*, *festiuum caput*, *lepidum caput*; haud dubiè pro toto homine: *nemo enim ore contempto* (In Terët. ait Donatus) *ex aliis membris hominem velit significare*.

Sed propiùs: Anatomici caput humanum in duas partes diuidunt, capillatam vnā, περιχρῶν, glabram alteram, ἄρσων: illa sincipite, vertice, & occipite constat; hæc, facies est, (quam Ruffus Ephesius ab exordio anterioris capillitij ad mentum vsque definiuit) soli homini concessa, per quam Deo similis esset. In homine viuente & recto, partes capitis capillatæ sunt superiores, & ob eas Vestales Virgines, & matronæ sacris operantes, rectè dictæ sunt *velari*, & capita earum *velamine tegi*. Vestalis velatæ typum habes in gemmâ veteri, apud Gutherium: Augustarum tectis Lib. de Iure Pont. peplo verticibus, in nummis Liuiæ, Paulinæ, & Faustinae vtriusque: etiam Neronis Poppæa, Tac. 14. Annal. *cum egrederetur in publicum, velabat partem oris, ne satia-*  
*ret aspectum, vel quia sic decebat.* De Iudæis id notat

Tertullianus: *Apud Iudeos tam solemne est feminis earum velamen capitis, ut ritè dignoscantur. Virgines Deo sacratae flamine Virginali sanctum operiebant caput, Hieronymo auctore, & aliis, De  $\tau\epsilon\lambda\chi\omega\tau\acute{\alpha}\varsigma$  in Sacerdote operto, Virgilius disertè:*

Ep. 8. ad  
Demetr.

3. Æneid.

*Purpureo velare comas adopertus amictu.*

Verùm in mortuis, & iacentibus supinis ad pol-  
lincturam, ratio longè diuersa est; facies enim est  
suprema, cæloque illuminatur, donec tegatur fu-  
nebri peplo. Hinc Lazari resurgentis faciem Ioan-  
nes appositè dixit *sudario ligatam*: & alibi de Chri-  
sto, *Petrum vidisse sudarium, quod fuerat super caput  
eius*, hoc est, super faciem eius, partem capitis in  
iacente superiorem, potiorem & nobiliorem.  
Namque obseruandum est ex allatis, opera  
 *$\tau\epsilon\lambda\chi\omega\tau\acute{\alpha}\varsigma$* , propriè dicta fuisse *vela*, & *velamina*;  *$\omega\epsilon\gamma\sigma\omega\tau\epsilon$*   
autem *sudaria*. Velum Veronicæ, postquam  
ex eius capite detractum est, & vultui Dominico  
admotum, illicò vocatum reperies *sudarium*. Ve-  
lum capitis, quod Plautilla Paulo Apostolo ad  
mortem properanti porrexisset traditur, quo fe-  
riendus gladio, ex more obduceret oculos, expleto  
ministerio, illud ipsum nomine *sudarij* recepit;  
quia scilicet Apostoli faciem tetigisset. sacrum  
mantile, quod suo vultui Christus applicuit Ede-  
fenorum Regi mittendum, exinde dictum est *su-  
darium*.

Baronius  
anno 69.  
n. 10. & 13.

*darium*. Et si profana cupis, habes apud Tranquillum, *Neronem Casarem adoperto capite* (velo nempe) *& ante faciem obtenso sudario equum inscendisse, quatuor solum comitantibus*. Vnde colligo, sudarium non tantum fuisse de genere indumentum in mortuis, quorum madenti & nudæ cuti adhaereret; verum etiam in viuis, quorum facies operiret. Faciem porrò corporis, vetustissimi Latini, Pacuuius, Quadrigarius, Plautus, apud Agellium, pro totius corporis habitu, staturâ & longitudine dixerunt: vnde à facturâ totius corporis, Nonius *faciem* dictam cenfet: & superficies corporum dicta est quasi superior facies, siue anterior cuiusque rei aspectus. Antiquiores Hebræi faciem פָּנִים *Panim* vocant, à radice פָּנָה *Panah*, quod est *respicere*: Græci ὄψιν, & πρὸς ὄψιν, à videndo & prospiciendo; ita vt cuiusvis obiecti pars anterior, quæ sub visum cadit, rectè *facies* dici possit, rerum etiam inanimatarum, vt facies<sup>a</sup> agri, facies<sup>b</sup> templi, facies<sup>c</sup> cæli & terræ. Quidni ergo capitis & faciei sudarium appellemus, linteum sepulchrale Christi Domini, toti antico corpori superinductum, antiquissimo more, quo Patrocli quondam à Troianis?

Lib. 13.  
cap. 28.

<sup>a</sup> Ezech.

<sup>b</sup> Marc. 9.

<sup>c</sup> Luc. 12.

Εν λεχέεσι ἡ θέντες ἐανῶ λιτὶ κάλυψαν,  
Ες πόδας ἐν κεφαλῆς καθύπεθε ἡ φάρι λυκῶ.

Hom.  
Iliad. Σ.

*In lectum imponentes, linteo subtili texerunt*

*A capite usque ad pedes, de super autem albâ veste.*

Forfan & de simili velo capiendus est Senecæ locus in Consolatione ad Marciam: *Tiberius Cæsar pro rostris laudauit filium, stetitque in conspectu posito corpore, interiecto tantum velamento, quod Pontificis oculos à funere arceret.* Funebria eiusmodi velamenta priscis fuisse symbola noctis & mortis, ex anti-

Ann. 337  
n. 19. 20.

quis marmoribus probauit Baronius: ego in sardâ veteri expressam habeo feminam stolatam, quæ manu sinistra velum præterdit, dextrâ inuersam facem extinguit, hoc pacto. Per id velum, non modò diei finem, quo caligo terris inducitur, sed & lucis vitalis terminum significari putato; maximè cùm auctor sit Pausanias, mortem esse noctis  $\pi\alpha\upsilon\delta\alpha$

Lib. 5.




$\lambda\theta\upsilon\kappa\omicron\nu$ , *puerum album*; planè quòd absente animâ corpora pallefcant; quodque albo linteo mortui contegantur, quale hæc femina præfert in gemmâ.

Stringo in aperto campo. Dixi, sudarium capitis & faciei dici posse, quod anteriorem & superiorem resupini corporis partem à vertice ad calcem obtegeret: habe alias rationes duas; quia ea solùm linteipars extabat supra institas in cadauere composito,



posito, quâ caput velatum erat: & quia sudarium caput totum complectens à collo religabatur: Lazari facies sudario erat ligata. & pro illo Ioannis, sudarium quod fuerat super caput eius, reddit Testamentum Syriacum, quod ligatum fuerat in capite eius, siue, vt habent Biblia Regia, quo comprehensum fuerat caput eius. Sic igitur Christi corpus inuolu-



Acceperunt corpus Iesu, & ligauerunt illud linteis cum aromatibus, sicut mos est Iudæis sepelire. Ioan. 19.

tum

48 DE LINTEIS SEPVLCHR. CHRISTI  
tum puto: postquam lotum, & vnguentis delibutum est, substratum est sacro corpori linteum vnum, aut plura; iacenti ac resupino proximè superpositum sudarium, quod habetur in Ecclesiâ Vefontinâ. Alia fortassis adhuc adiecta linteamina, quæ anteriorem corporis faciem operirent: circumuolutæ deinde institæ à collo adusque imas calces: illa denique sudarij Vefontini pars, quæ à capite eminebat, vultum caputque totum complexa, tænijs ad collum religata est; & ob eam rem, hoc sudarium capitis & faciei dictum, quod Petrus monumentum ingressus vidit separatim inuolutum in vnum locum; quod Beda dicit fuisse pedes octo longum, quo nunc Vefontina Metropolis gloriatur. Neque quidquam prohibet, quò minùs supra Vefontinum sudarium, alia quoque linteamina adiecta sint, quæ etiam caput obuelarint, & toto corpore extensa sub institis coërcita sint, quæ fortassis asseruantur in varijs Ecclesijs, de quibus alio loco.

Græci Sacerdotibus mortuis (vt est in Euchologio) faciem velabant aëre, hoc est breuiori velamine, quo in Mifsâ τὰ ἄγια, panis scilicet & vinum ad futurum sacrificium tegebantur. Corpus Caroli Magni defuncti *vestitum est vestimentis Imperialibus, & sudario sub diademate facies eius operta,*

ex Monacho Engolismensi. Et non absimilem in  
 morientibus superinducti minoris panni morem In Vita Caroli.  
 notauit Gregorius. *S. Cassius Narniensis urbis Epi-* Hom. 37. in Euang.  
*scopus moriturus*, inquit, *assistentibus ipse suis ma-*  
*nibus linteum dedit, quod ex more morientium sibi*  
*contra faciem tenderetur: quo tenso spiritum emisit;*  
*sicq; sancta illa anima ad gaudia aeterna perueniens,*  
*à carnis corruptione soluta est.* Sic affirmare nolim  
 non fuisse breuius aliquod linteum, seu mantile  
 foli capiti Christi velando vltimò omnium &  
 extrinsecus adhibitum, quod fortasse habent Mo-  
 guntini, vt infra referam ex Serario: sed nego vllò  
 Scripturæ vel probi Auctoris testimonio hoc satis  
 probari; cùm quidquid de sudario capitis legimus  
 in Euangelio, rectè possit explicari de linteo, quod  
 supra totam anticam corporis partem immediatè  
 extensum, ad caput religatum, supra institas exta-  
 bat. Et quamuis constaret talem breuiorem pan-  
 num adhibitum fuisse, quod valdè dubium est:  
 stat tamen suus honos, & præcipuè faciei seu capi-  
 tis Christi appellatio Vefontino sudario, quod  
 nudo Domini vultui applicitum, distinctissima  
 eius impressa lineamenta prudentissimo cuique  
 persuadent.